



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

5. Verbo Dei, velut Vecte, Peccatum & Peccator, pondera grauissima
facillimè transferuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

tanquam Architectus Christianus Vectem ingentem, illumque, ut potuit, Monti supposuit: tum facillimè Montem transtulit, ut tantum spacii relinqueretur structoribus templi, quantum commoditas postulabat. Quis ille fuit VECTIS? non alius, quàm VERBUM DEI. DEUM VERBI sui admonuit magnus DEI SERVUS: Verbum orationis protulit: Verbo, tanquam Vecte, Montem transtulit.

ARTICULUS V.

VERBO DEI

Velut Vecte, Peccatum & Peccator, pondera gravissima facillimè transferuntur.

VECTIS aliud pondus multo enormius præcedente elevari & transferri eodem Vecte supremi Architecti? Disputatur subtiliter à Theologis, non quæ sit maxima gravitas in corporibus, seu quod sit corpus omnium gravissimū; hoc enim spectat ad Philosophos inquirere, qui multis, de maximo quod sic, & gravissimo quod sic inter se altercantur; sed de gravissimo, quod est in rerum natura, etiam in spiritualibus. Et post longam acerbamque partium concertationem eo devenitur, ut concludatur gravissimum omnium esse peccatum mortale, & peccatorem lethiferi criminis sarcina oneratum. Rationem dant, qui optimam solent, istiusmodi. Gravitas peccati mortalis est infinita in ratione offensæ, quia eo offenditur Deus infinitus: ob quam causam meretur, pœnam infinitam, si non intrinsicè, quod negant aliqui saltem extensivè, quod omnes adfirmant: & negari non potest, cum de fide sit, hinc decedentem peccato mortali

tali oneratum, post hanc vitam puniri in omnem æternitatem, sive, in infinitum extensivè. Quod si non sit infinita omninò gravitas peccati mortalis participat tamen de infinitate tantum, ut nulla gravitas illi possit comparari. Quod est indicium infiniti saltem participati. Profectò, Lucifer, & illi adhærentes Spirituum improborum catervæ, quam primum peccarunt, tam fuere graves, ut cælum, quamvis ex ære fusum videatur, illos sustinere non potuerit; sed ceciderunt omnes, tanquam lapides gravissimi in profundum, sicque cælum exoneravit se. Eadem autem est ratio cujuslibet peccatoris, qui in mortali persistit, quem idcirco cælum gravitate perurgente in se retinere nequit.

Hic tamen, licet infiniti ponderis, transfertur facilimè, per infinitam distantiam, à nihilo ad aliquid, ab imo ad summum, à tenebris ad lumen ab Occidente ad Orientem, à statu peccati ad statum gratiæ, à perditione ad salutem, à creatura ad Creatorem. Quo instrumento? *Veste* Architecti cœlestis, VERBO SUO excitantur, vocantis, immutantis, trahentis. Quod fit quotiescumque peccator sanctificatur; sive per Sacramenta, in quibus accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum; sive per Contritionem & Amorem: nam semper intervenit Verbum DEI, sine quo nulla perficitur justificatio.

ARTICULUS VI.

VERBO DEI

Ceu Veste, fit Hominis Mundani translatio.

DIFFICILLIMUM est movere Hominem Mundanum. Ita vocamus hominem cujuscumque ætatis, adolescentem,